UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Enchiridion Erasmi Roterodami Germani De Milite Christiano

Erasmus, Desiderius

Lypsi, 1516

VD16 E 2746

De homine interiore & exteriore. Et de duab[us] partib[us] ho[min]is ex l[itte]ris sacris.

urn:nbn:de:hbz:466:1-33324

Visual Library

becilliꝰq a carne ſupaẗ. Si tuas ꝑpēderis vires, nihil difficiliꝰ, q̄ carnē ſubigere ſpūi, ſi deū auxiliatorē reſpexerꝭ, nihil faciliꝰ. Tu mō ingēti aīo, ꝑfectæ vitæ, ꝓpoſitū ꝯcipe, cōceptū vrge. Nihil vnq̄ vehemēter īpauit ſibi hūanꝰ animꝰ, qđ nō effecerit Magna pars Chriſtianiſmi eſt, toto pectore velle fieri Chriſtianū, Qđ aditu videbiẗ īexpgunabile, id fiet ſucceſſu molliꝰ vſu facile, cōſuetudine demū etiā iucundū. Scitū eſt illud Heſiodū, arduā initio eſſe ꝟtutis viā, verū vbi ad cacumē erepſeris, tutiſſimū ociū te manet. Nullū aīal tam ferū, qđ non manſueſcat hūana cura, & animi dormitoris oīm nulla erit domādi ratio? Vt corpore valeas, potes in annos aliquod impare tibi, vt abſthemius ſis, vt a venere tēperes, quæ præſcripſit homo medicus, & vt oēm vitā trāquille trāſigas, nō potes vel mēſes pauculos impare affectibus, qđ conditor præcipit deus. Vt corpus morbo ſubducas, oīa facis, vt corpꝰ & animā ab æterna morte ſubtrahas, non illa facis, quæ fecerūt & ethnici?

Chriſtiāis ſola voluntas deeſt

Nota.

Virtutis via ardua in p̄ncipio

Animus quaſi domandus

¶ De homine interiore & exteriore, Et de duabꝰ partibꝰ hois ex lr̄is ſacris.

Pudet me, ꝑfecto Chriſtianoꝝ noīe, quorū maxima pars veluti muta pecora, ſeruit affectibus ſuis, adeoq; in hac dimicatione nō ſunt exerciti, vt ne norint quidē rōnis atq; ꝑturbationū diſcrimē. Hoc tm̄ hoīem eſſe putāt, qđ vidēt, qđ ſentiunt. Imo nihil eſſe putāt, niſi qđ ſub ſenſum cadat, quū nihil ſit minus. Quicqd impēſe cupiūt, id rectū exiſtimāt. Pacē appellāt certā cōploratāq; ſeruitutē, dum obruta ratio, quocūq; vocat affectus, nihil renitēs ſequitur. Hæc pax eſt illa miſera, quam Chriſtꝰ veræ pacis author, qui fecit vtraq; vnū, venit dirimere bellū ſalutare excitaturus, inter patrē & filiū, inter maritum & vxorē, inter ea quæ turpis cōcordia male cōciliauit. Iam ꝟo phōꝝ leuis ſit authoritas, niſi eadē oīa, tametſi ꝟbis nō iiſdē, ſacris in lr̄is p̄cipiunẗ. Qđ philoſophi rationē, id Paulus modo ſpm̄, mō interiorē hoīem, mō legē mētis vocat. Quod illi affectum, hic interim carnē, interim corpus, interim exteriorē hominē, interim legē mēbroꝝ appellat. Spū inquit ambulate, & deſyderia carnis nō ꝑficietis, Caro em̄ ꝯcupiſcit aduerſus ſpm̄

Pax falſa quaſ deus odio habet.

Mathei, 10.

Pauli cū philoſophis concordantia.

Ad Galat. 5.

& ſpũs aduerſus carnem, vt nõ quæcũq; vultis, illa faciatis. Et
alibi. Quod ſi ſcđ'm carnem vixeritis, moriemini. Si ſpũ facta Ad Ro
carnis mortificaueritis, viuetis. Noua ꝑfecto rerũ cõmutatio mañ. 8.
vt in bello pax quærat̃, ĩ pace bellũ, in morte vita, ĩ vita mors,
in ſeruitute libertas, in libertate ſeruitꝰ. Scribit em̃ alibi Paulꝰ. 1. ad Co
Caſtigo corpꝰ meũ, et ĩ ſeruitutẽ redigo. Libertatẽ audi. Qđ rin. 9
ſi ſpũ ducimini, nõ eſtis ſub lege. Et. nõ iterũ cõcepimus ſpm̃ Ad gala
ſeruitutis in timore, ſed ſpm̃ adoptiõis filiorꝝ dei. Idẽ alibi. Vi- lat. 5.
deo aliã legẽ in mẽbris meis, repugnantẽ legi mentis meæ/ & Ad Ro
captiuantẽ me in lege pcti, q̃ eſt in membris meis. Legis apud mañ. 7.
eundẽ, de exteriore hoĩe, qui corrũpit̃, & interiore, q renouat̃ 2. ad co
de die in diẽ. Plato duas vno in hoĩe aĩas cõſtituit. Paulꝰ eodẽ rin. 4.

Platonis & Pauli con- cordantia

in hoĩe duos hoĩes facit, adeo cõglutinatos, vt neuter ſine alte-
ro, neq; in gloria, neq; in gehẽna, ſit futurus. adeo rurſum diſ-
iunctos, vt vniꝰ mors, vita ſit alteriꝰ. Eodẽ opinor ꝑtinet, quæ
ſcribit Corinthijs. Factus eſt primꝰ homo in animã viuentẽ, 1. ad Co
nouiſſimꝰ Adam in aĩam viuificantẽ. Sed nõ priꝰ qđ ſpiritale rin. 15.
eſt/ ſed quid aĩale, deĩde qđ ſpũale. Primꝰ hõ de terra terrenꝰ/
Scđ'us hõ de cœlo cœleſtis. Atq; vt euidẽtiꝰ eſſet, iſta nõ ſolũ
ad Chriſtũ & Adam, ſed ad nos oẽs ꝑtinere ſubiecit. Qualis
terrenus, tales & terreni, & qualis cœleſtis, tales & cœleſtes.
Igit̃ ſi portauimꝰ imaginẽ terreni, portemꝰ & imaginẽ cœle-
ſtis. Hoc aũt dico fratres, quia caro & ſanguis regnũ dei non
poſſidebũt, neq; corruptio, incorruptelã poſſidebit. Vides li-
quere, quod alibi carnẽ, & exteriorẽ, qui corrũpit̃, hominem
dixit, hic terrenũ Adam nominaſſe. Hoc ipſum nimirũ eſt, & Ad Ro
corpus illud mortis, quo grauatꝰ exclamabat Paulus. Infœlix ma. 7.
ego hõ, qs me liberabit de corpore mortꝭ huiꝰ? Porro fructũ
lõge diuerſiſſimũ carnis, & ſpũs aperiẽs, alibi ſcripſit. Qui ſe-
minat (inquit) in carne ſua, de carne & metet corruptionẽ, qui Ad gal
aũt ſeminat ĩ ſpũ, de ſpũ metet vitã æternã. Hoc igitur illud eſt 6

Odium Iacob & Eſau.

vetꝰ diſſidiũ geminorũ Iacob & Eſau, q & añq; in lucẽ æde-
rent, iã ĩtra materni vẽtris clauſtra luctabant̃. At Eſau quidẽ
præoccupauit exortũ. ſed Iacob p̃ripuit benedictionẽ. Prius gen. 25
em̃ carnale, ſed qđ ſpiritale potius eſt. Alter erat rufus & pi- & 26.
gen. 27

lis obſitus, alter lenis. Alter inquietus, & venator. Alter do-
meſtico gaudēs ocio. Et ille quidē famelic⁹, ius vēdidit pͥmo-
genitorū, dum vili voluptatis authoramēto illectus, a natiua
libertate excidit, in ſeruitutem peccatorum. hic quod iure non
habebatur, arte gratiæ ſibi vendicat. Inter hos fratres quanq̃
vterinos, quāq̃ gemellos, nunq̃ perfecta coit concordia, odit
enim Eſau Iacob. Iacob contra, & ſi non reſpondet odio mu-
tuo, fugit tamen, ſuſpectumq́ſemper habet Eſau, neq̃ ſeſe illi
credit. Tibi quoq̃ quicquid ſuaſerit affectus, ſuſpectum ſit,
geñ. 32 propter dubiam authoris fidem. Iacob ſolus vidit dñm. Eſau
vt ſanguinarius, gladio viuit. Poſtremo dominus a matre cō-
geñ. 25 ſultus reſpōdit. Maior ſeruiet minori. Pater vero adiecit. Fra-
tri tuo ſeruies. Tempuſq́ veniet, cū excucias & ſoluas iugū
eius de ceruicibus tuis. Dominus de pijs vaticinatur, pater de
ad ephe reprobis, ille quid ab omnibus oporteat fieri cōmonſtrat, hic
ſios. 5 quid pleriq̃ facturi ſint prædicit. Paulus vult mulierem ſub-
Eccliaſ. ditam eſſe viro ſuo. Melior enim eſt iniquitas viri, q̃ mulier
42 benefaciens. Eua noſtra carnalis eſt affectus, cuius oculos cal
lidus ille coluber quottidie ſollicitat. Ea corrupta, pergit & Eua myſtica
virum ad communionem mali ſolicitare. Sed quid legis de
Geñ. 3. muliere noua id eſt ea quæ viro ſuo morigera eſt? Inimicitias
ponam inter te (nempe ſerpentem) & mulierem, et ſemē tuū,
et ſemen illius. Ipſa conteret caput tuum, et tu inſidiaberis cal-
caneo illius. Deiectus eſt coluber in pectus, impetum eius fre
git mors Chriſti. Tantum calcaneo inſidiatur clancularius.
Cæterum gratia fidei, tanq̃ in viraginem verſa mulier, ve-
nenatum caput animoſa conterit. Aucta eſt gratia, imminuta Abraā auctus
Geñ. 18 carnis tyrannis. Sara imminuta, authore deo, creuit Abrahā, ratio.
iamq̃ illa non maritum, ſed dominum vocat. Neq̃ prius ta- Sara minuta
men illa partū meretur, q̃ illi deſiiſſent muliebria. Quid v͛o caro
geñ. 21. tandem peperit domino ſuo Abrahæ, iam anus, iam effœta?
Nempe Iſaac. i. gaudium Simul atq̃ in homine cōſenuerunt
affectus, tum demum exoritur fœlix illa tranquillitas inno-
centis animi, et mentis ſæcuritas quaſi iuge conuiuium. Et
vt pater ipſe non indulſit vxori; ita in liberis ſuſpectam

Iſaac cũ Hiſ- habet colluſionẽ Iſaac cũ Hiſmaele. In ea ætate nõ vult cõue-
maele myſtice. nire filiũ ancillæ, cũ filio liberæ. Dũ adhuc feruet adoleſcentia,
ꝓcul ab oculis ablegeť Hiſmael: ne ſub blãdimẽti ſpecie puerꝫ
adhuc Iſaac ad ſuos mores pelliciat. Iam ſenuerat Abrahã, iam
anus erat Sara: iam ediderat Iſaac: adhuc diffidit: niſi vxoris cõ
ſiliũ: diuinũ oraculũ cõprobaſſet. Non eſt ſecurus de muliere
donec audit a dño. Omnia quæ dixerit tibi Sara, audi vocem
eius. O fœlicẽ ſenectam eorũ: in quibus ſic præmortuus eſt
ille terrenꝰ homo, vt nullũ negociũ exhibeat ſpiritui. Qui cõ
ſenſus/an ꝑ oĩa ꝑfectus/homini cõtingat in hac vita, haud e-
quidẽ affirmauerim. Fortaſſe ne expediat quidẽ. Nã & Paulo 2. ad corin. 12
datꝰ eſt ſtimulus carnis, angelus Satanæ, qui illũ colaphizaret,
ac iam tertiũ/dñm rogãs: vt a ſe tolleret: hoc tantum audiuit.
Paule ſufficit tibi gratia mea: nam virtus in infirmitate ꝑficiť.
Pauli ſtimulus ad quid nobis ꝓdeſt. Nouũ ꝓfecto remedij genus. Paulus ne ſuperbiret, tẽtatur a
ſupbia, vt ſolidus ſit in Chriſto: in ſe cogiť eſſe infirmus. Por-
tabat eñ theſaurũ reuelationũ cœleſtiũ in vaſe fictili: vt ſubli- 2 cor. 4
mitas eſſet virtutis dei: & nõ ex ipſo. Quod vnũ exemplum
apłi: multorũ pariter nos admonet. Primũ quũ a vicijs ſollici
tamur: mox iteratis præcibus implorandũ eſſe auxiliũ diuinũ
Deinde tentationes viris ꝑfectis interdũ non ſolũ periculoſas
Nota diligẽter nõ eſſe: verũ etiam ad cuſtodiã virtutis neceſſarias. Poſtremo
reliquis omnibus ꝑdomitis ſolũ inanis gloriæ viciũ in medijs
Vana gloria hydrę cõpať etiam virtutibus inſidiari: & hanc eſſe velut hydrã illam Her-
culanã, monſtrũ viuax: & ſuis vulneribus fœcundum quod
omnibus exanclatis laboribus/ſupremo fine vix demũ queat
cõfici. Verũ labor omnia vincit improbus: Interim dum ve-
Proteus. hemẽtibus ꝑturbationibus æſtuat animus tu modis omnibus
prẽme: vrge: immine: ac Proteũ iſtum tuum: vinclis ſtringe
tenacibus: dum oĩa tranſformat ſeſe in miracula rerũ ignẽꝗ
horribilẽꝗ feram: fluuiũꝗ liquentẽ: donec in natiuã ſpeciem
redeat. Quid aũt tam Proteus: ꝙ affectus & cupiditates ſtul-
Proteꝰ ſenſualitatis typũ gerit. torum: quæ quum eos nunc in beluinam libidinem nũc in trã
ferinam: nunc in venenatam inuidiam: nũc in alia atꝗ alia vi-
ciorũ portẽta trahũt: nõne pulchre quadrat: quod eruditiſſi-

4 Geor mus poeta dixit. Tum variæ eludẽt ſpecies atq; ora ferarum,
gicorũ. Fiet eñ ſubito ſus horridus, atraq; tygris. Squamoſuſq; dra-
co, & fulua ceruice leena. Aut acrẽ flãmæ ſonitũ dabit. Hic/o
memẽto/quod ſequit̃. Sed quãto ille magis formas ſe vertet
in omnes, Tanto nate magis contende tenacia vincla. Imo ne
rurſum ad fabulas reuoluamur poetarũ, exemplo ſancti pa-
triarchæ Iacob, luctamen nocturnum cõſtanter vrge, donec Iacob luctatus
illuceſcat aurora opis diuinæ, dicitoq;, nõ dimittã te, niſi bene- cum angelo
Geñ. dixeris mihi. Quod aũt virtutis ſuæ præmiũ tulerit, fortiſſim⁹
32 ille paleſtrites, operæ preciũ eſt audire. Primũ benedixit ei in
eodem loco. Semp eñ poſt ſuperatã tentationẽ præcipuum
quoddã auctariũ diuinæ gratiæ adijcit̃ homini, qua ſit ad fu-
turũ hoſtis aſſultũ multo q̃ fuerat munitior. Deinde tacto fe-
more emarcuit neru⁹ victoris, & cœpit altero claudicare pede
3. Regũ Execrat̃ per os ꝓphetæ deus, eos qui vtroq; claudicant pede
18 . i. qui ſimul & in carne eſſe, & deo volunt placere, & dum
vtrũq; male conantur, in vtroq; claudicant. Fœlices aũt illi, in
quib⁹ ſic affectus carnis emortuus eſt, cõtingente deo, vt dex
Geñ. 32 tro pedi potiſſimũ. i. ſpiritui innitant̃. Poſtremo nomen illi
cõmutatũ. Ex Iacob eñ fit iſrael. Ex luctatore quietus. Vbi Ex Iacob
caſtigaris carnẽ tuã, & eam crucifixeris cũ vicijs & cõcupiſcẽ- Iſrael.
Gal. 5. tijs, iam nullo obſtrepẽte cõtinget tibi tranquillitas & ocium
vt vaces & videas dominũ, vt guſtes & videas quoniã ſuauis
eſt dñs. Hoc eñ ſonat Iſrael. Videt̃ aũt nõ in igni non in tur- Iſrahel videns
Pſ. 33. bine ac tumultu tentationũ, verũ tempeſtatẽ diaboli, ſi modo deum
pſeueraris, cõſequit̃ ſibilus auræ tenuis conſolationis ſpũalis.
Ea ſimul atq; leniter aſpirauerit, tum intende acriter internos
oculos, & eris Iſrahel. diceſq; cum eodem; Vidi dñm: & ſalua
Geñ. facta eſt anima. Videbis eum qui dixit. Non videbit me oĩs
23 caro. Excute te ipſum. Si caro es, nõ videbis dñm ſi nõ vide-
ris non ſaluabitur anima tua. Cura igitur vt ſis ſpiritus.

¶ De tribus hominis partibus. ſpiritu anima & carne.

¶ Erant hæc vel nimio plus ſatis, verũ vt fias tibi paulo etiã Origenes q̃lit
ꝓſpectior atq; excuſſior. libet & origenicã hominis ſectionẽ hoiem diuiſit.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN